



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Poëtica vis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

VATICINIUM. CAP. XIV.

Vaticina-
tricum plan-
tam. Δαφ-
νηφόρος κυ-
δίαι Vates. 301

Quocirca non imperite Aphthonius Laurum vaticinii symbolum esse dicit, quam *μαυρὸν* Qu-
αὐν Dionysius in præceptis de Panegyricis scribendis appellat. Nam quod Vates *Δαφνηφόρος*
vocatentur, non ex eo tantum, quod ille dixerit, *Laurumque momordit*: & Sibylla apud Tibul-
lum, *Sic usque sacras innoxia Lauros vesbar*, desumptum est, verum etiam ex Sophoclis Callandra-
centis, *δάφνη Φαζόν ὀδύνην πρὸς τὸ σῶμα*, Eodem modo Lycophron, *δάφνη Φαζόν Φοῖβα*
λαμῶν ὄπι. Porro Daphnem puellam, ut Plutarchus scribit in Agide, Pasiphaes nomine Spartani
coluerunt, quæ oracula, ut ajunt, certissima sit dare solita.

CUSTODIA. CAP. XV.

Pro custodia vero Laurum poni, & incolumitatis esse symbolum ex Proclo didicimus, qui veteres
ait Laurum tutelæ consecrassè, & in sacrificiis, & in locis ubicumque vel sata, vel affixa fuerit in-
columitatem præbere; cuius rei non ignarus Ovidius, tutelæ hujus ergo illud de Lauro dixit: *Me-
diamque tuebere quercum*, quod ita mihi libet interpretari, ut ad civicæ coronæ *sospitamentum* &
tutelam statueretur: id quod ex numis quibusdam intellexi, in quibus civica posita est, quam duo
Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducii, sed ad osculum quodammodo adcur-
vati. Literæ *OB CIVES SERVATOS*. Duo hujusmodi sunt apud me, in quorum uno literæ circumdu-
ctæ, *C. GALLIUS. C. F. LUPERCUS III. VIR AAA. FF.* In altero, *L. NEVIUS SURDINUS. III. VIR. AAA.
FF.* Quid vero sibi velint elementa illa, quippe a triplex, & geminum, si quis quaesierit, sciat id si-
gnificare, Auro, Argento, Ære, Faciundo. Inveniuntur vero & in Augusti numis, & alibi. Eadem
vero specie civicam eam fuisse crediderim, quam Augusti foribus affixam Ovidius scribit, quamvis
nonnulli arbores ipsas satas putant, quia ita scriptum à Poeta sit:

Numi cum
Lauro ci-
vica.

*Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.*

Idem sibi vult numus argenteus, in quo duo Lauri surculi cum radicibus, in quorum medio erecta
est columna Ionica, supra cuius capitulum carchesium est, in medio parma affixa, cum literis *S. C.*
Nam ab utraque columnæ parte in albo singulatim. Literæ *S. C.* adscriptæ. Altera inscriptio est, *DI-
VUS AUGUSTUS VESPASIANUS*. quod apothecosin ipsam sapit. Sed ex his satis superque est ostensum,
Laurum pro custodia & tutela poni, & eorum, quæ perpetuo sospitari, conservari, ac vivere volu-
mus signum, accedit & illud ad sospitamentum: quod ejus arboris folia fulmen non icit: eaque de
causa Tiberius, cum fulmina cornuscationesq; supra modum expavesceret, caelo turbido Lauream
sibi solitus est imponere, non secus ac eadem de causa Augustus ex Vituli marini pelle cingulum
gestare.

Ideog. An-
thax. & di-
lius.
Sueton. in
Tiberio
cap. 39.
Suetonius
in Augusto.
s. 90.

POETICA VIS. CAP. XVI.

Quæ quidem perennitatis aut diuturni temporis vita cum à nullo magis, quam à Poetis ipsis ex-
petatur, merito Laurus una cum hedera, cuius circa vetustatem opus omne, Poetis dedicata
funt: aliorum enim scriptorum authoribus non tam fama quam utilitas etiam quaesita, sola Poetis
gloria, & victuri nominis cupiditas instat, nec, ut eleganter & vere dixit Ovidius, *petitur sacris nisi
tantum fama Poetis*. Quod vero datum sibi Laureum sceptrum à Musis canit Hesiodus, laborem &
diligentiam scribentis indicat, propterea quod veluti sunt amara Lauri folia: ita virtutis sudor, vel
ipso eodem teste, laboriosus. Unde chartas Cornelii laboriosas Catullus pro magna laude cele-
brat. Nam cum Hesiodus pauperibus fuerit parentibus genitus, virisimile est eum non sine magna
difficultate proficere potuisse. Ita enim Zezes, quod Musæ novem cum Lauro coronarint, labores
& amaritudinem ejus in doctrina comparanda commonstrat.

AUTHORITAS IMPERATORIA ET TRIUMPHALIS HONOS.
CAP. XVII.

Esse vero Laurum insigne triumphantium, non ex eo tantum quod apud Ovidium legitur,
Tri-